



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XCVIII. De litteris dimissorialibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS XCVIII.

De litteris Dimissoriis.

Laurentius minorista cum neque à suo proprio Episcopo nuper defuncto, nec hodie à Capitulo, sede vacante, litteras Dimissorias obtinere potuerit, eas tandem Româ obtinuit, vi quarum possit Sacros Ordines suscipere à quocunque legitimo Episcopo. Adit proin Statim Ambrosium Episcopum vicinioris Diocesis, nullis aliis litteris à Capitulo, sede vacante, acceptis, à quo sacris Ordinibus initiat. Post susceptos sacros Ordines inaudit, Summum Pontificem, altero mox ab acceptis litteris Pontificiis die, piè in Domino obiisse.

QUÆR. I. *An Laurentius tenore illarum litterarum Papalium fuerit validè Ordinatus?*

QUÆR. II. *An si fuit ordinatus sine aliis litteris à proprio Episcopo, vel à Capitulo, sede vacante, acceptis, suspensionem incurrerit?*

QUÆR. III. *An, & quando Capitulum, sede vacante, Dimissorias dare possit?*

583 **A**D I. Q. posse Summum Pontificem etiam litteras dimissorias dare, ut quis à quocunque Episcopo Ordinari possit, imò & privilegium concedere, ut sine illis ordinetur, patet ex *C. sepè 1. h. tit. in 6.* & ex eo, quòd summus Pontifex sit Episcopus Ordinarius omnium fidelium. Dubium autem, & quæstio est, an litteræ Dimissoriæ à Papa concessæ, si antequam executioni mandentur, & re adhuc integra

Kk kk 2 moria-

moriatur concedens, morte concedentis extpirent? Ad quod

584 Dicendum est cum Barbof. *alleg. 7. n. 23. Navar. in C. placuit de penis, dist. 6.* & aliis non exspirare, sed retinere adhuc suam efficaciam, & valorem, ut illarum tenore possit quis validè ordinari, quamdiu à Successore non revocantur. Ratio est, quia etiam litteræ Dimissoriales habent rationem gratiæ factæ, & beneficii; gratia autem facta, etiam re integra, non exspirat morte concedentis, sed durat etiam post mortem, nisi à Successore revocetur, ut constat ex *C. si gratiosè 5. de rescript. in 6.* Cui consonat etiam *Gloss. in C. si cui de Præb.* ubi ait: Nota, quòd gratia facta non exspiret morte concedentis, etiam si ejus effectus non sit adimpletus. Id ipsum procedit de Dimissoriis datis à proprio Episcopo, quæ, nisi fuerint revocatæ, morte concedentis non exspirant ob allatam rationem. Ex his constat, Laurentium validè ordinatum fuisse.

Porrò in litteris dimissoriis exprimi debet, quinam Ordines illarum sint conferendi; nam sub data licentia recipiendi solum Ordines minores, vel ordines absolutè, non comprehenduntur Ordines majores, quia facul-

tas hæc, ut notant DD. censetur esse stricti juris, *arg. C. 1. h. tit.* Præterea debent hæc continere testimonium de natalibus, ætate, scientia, & moribus, prout exigit, & declarat Trident. *Seff. 23. c. 8. de reformat.* Unde

Ad 2. Q. R. Si Laurentius 585 nullas alias litteras, sive testimonium proprii Episcopi, seu Capituli, sede vacante, de vita, & moribus secum attulit, neque id expressum fuerit in litteris Dimissoriis Pontificiis, juxta Trident. *citt. Seff. 23. c. 8.* suspensionem incurrit; nam licet ordinari potuerit ab alio Episcopo sine Dimissoriis à suo Episcopo obtentis, necessarium tamen est, ut testimonium habeat de vita, & morum honestate, secus & sic Ordinatus, & ipse Ordinans suspensionem incurrunt secundum *citt. Trident. quod l. c.* ita loquitur: *Unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur. Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei; etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam Statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, si secus fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Hinc

Hinc ii, quibus Dimissoriæ dantur, prius sunt examinandi de scientia, vita, & moribus &c. nisi absentes sint, vel nisi concedens Dimissorias malit id relinquere illi Episcopo, qui dimissum ordinaturus est; nam etiam à proprio Episcopo examinati, & approbati ab Ordinante adhuc alicubi examinari solent.

Porrò nomine proprii Episcopi venit tum Episcopus *Originis*, ut si quis oriundus vel natus in ejus diocesi, in qua pater domicilium habuit, *C. 3. h. tit. in 6.* etsi per accidens natus sit extra talem Diocesim, v.g. in itinere, vel in loco, ad quem mater excurrit negotii conficiendi causâ; quia spectatur id, quod per se, non quod per accidens contingit, censeturque talis fictione juris natus esse in loco domicilii suorum parentum, per *l. 3. C. de Municipib.* Tum Episcopus *Domicilii*, quando scilicet quis in hujus diocesi domicilium, seu sedem fixit, cum voluntate, & animo ibi stabiliter manendi, nisi quid avocet, *l. 7. C. de incolis.* Unde non sufficit *quasi domicilium* ad suscipiendos Ordines, ut tenet communis DD. licet id sufficiat ad recipienda alia Sacramenta. Denique nomine proprii Episcopi venit etiam Episcopus *Beneficii*, quando scilicet quis in talis Epi-

scopi diocesi verum beneficium jam actu collatum in titulum, & possideri cœptum adeptus est. Atque ex triplici hoc capite potest aliquis subditus fieri Episcopi, ut ab eo tanquam à proprio Episcopo Ordines suscipere possit.

Ad 3. Q. posse Capitulum 586
Cathedrale, sede vacante concedere litteras Dimissorias videtur ex eo probari posse, quòd dare Dimissorias sit actus jurisdictionis; actum autem jurisdictionis possit Capitulum exercere, cum sede vacante jurisdictione sit penes Capitulum. Eadem suffragatur etiam *C. cum nullus 3. h. tit. in 6.*

Verùm dicendum omninò est, 587
spectato jure novo Trident. *Sess. 7. c. 10. de Ref.* non posse Capitulum, sede vacante dare Dimissoriales infra annum à die vacationis, nisi duntaxat arctatis ratione Beneficii Ecclesiastici, seu iis, qui actu obtinent, vel electi, præsentati, ac nominati sunt ad Beneficium, quod exigit Ordinem sacerdotalem intra annum suscipiendum. Ut adeò restricta hinc sit Capitulo jurisdictione, ac potestas per Trident; quam olim antiquo jure habebat, *citt. C. cum nullus.* Post annum tamen vacationis potest Dimissorias dare subditis diocesanis;
Kkkk 3 imò

imò & intra annum dare potest litteras testimoniales de vita, moribus, & doctrina, quia tales litteræ non sunt litteræ Dimissoriae, cum non contineant licen-

tiam Ordines suscipiendi, prout tamen illam continent Dimissoriae, sed solum testimonium de vita, & moribus &c.

CASUS XCIX.

De negotiatione Clericis prohibita.

FAustinus Parochus cum Beneficium habeat valde tenue, & insufficiens ad congruam sustentationem, pecunias paucas, quas ex redditibus Beneficii, & aliis rebus à se emptis, & venditis acquirit, tradit Fausto mercatori cognato suo, ut iisdem negotietur, & ut sic & ipse lucrum aliquod inde percipiat.

QUÆR. I. An, & quomodo peccet Faustinus Parochus negotiando per Faustum cognatum suum?

QUÆR. II. An graviter peccet una solum, alterave vice negotiando per se ipsum?

QUÆR. III. An Clericus non habens, unde honestè vivat, licitè negotietur?

588 **A**Nte resolutionem hujus Casus notandum est, duplicem esse negotiationem, unam scilicet strictè ac propriè dictam, alteram impropiè, & latè sumptam. Hæc posterior est illa, quâ aliquid emitur, ut per industriam, artem, vel labo-

rem res in aliam formam mutata, aut melior reddita, vendatur. Negotiatio verò propriè dicta, & de qua hîc quæritur, illa est, quâ res aliqua emitur eò animo, & intentione ut integra, & non mutata cum lucro vendatur, quæ negotiatio, licet intrinsecè